

hac in re consensus. Idem quoque de reuerentia libertorum dictum esto.

Restat denique, vt de vltimo, quod contra hanc honestatis aestimationem affertur, argumento paucis edisseramus. Id vero reperiri putant in eo, quod, cum Senatus censeret, libertam si ignorante patrono seruo se alieno coniunxerit, ancillam patroni effici (z), idem tamen in statu suo retineret illam, *quae serui patroni contubernium secuta est, etiam post denunciationem* (a). Verum haec quoque obiectioni, quamvis elegantissimae, obicem ponere Iureconsultus videtur hac adiecta ratione: *quia domum patroni videtur deserere noluisse.* Et constat sane, Romanos non tam rigidos fuisse pudicitiae libertinarum censores, quam quidem ingenuarum. Certe ante Legem Iuliam de maritandis ordinibus ita haesisse mentibus, persuadent haec

HORATII:

Tutior at quanto merx est in class. secunda

Libertinarum dico, Sallustius in quos

Non minus insanit, quam qui mocchatur (b).

Ex iis autem, quae supra attulimus de studio veterum pudicitiam & bonos mores inter ingenuas seruandi, si, idem quoque in hoc Senatusconsulto spectatum seruatumque esse, probatum dedissemus, de quo quidem suffragium ferre doctiorum est, non nihil forte ponderis adiiicerent verba CONSTANTINI dicentis, liberam mulierem amoris in seruos furore percussam, ideo in seruitutem detrudi, *quod immemor sit honestatis* (c). Sed nec hic

(z) PAVLLVS loco supra allato
p. 7.

(a) Verba sunt modo excitati
PAVLLI p. 11.

(b) Lib. I. Satir. II, 46. quam qui.

dem ante istam legem scriptam esse, non sine ratione suspicatur
HOFFMAN laud. Diff. c. IV. p. 4.

(c) L. 1. C. Tb. ad SC. Claud.

(IV, 9.)

7u